Ad inveniendum novilunium sive coniunctionem solis et lune secundum medium motum vide primo quis sit aureus numerus anni illius in quo coniunctionem sive de-siderabis quo viso scias quod quatuor sunt tabule principales in illo kalendario quarum quelibet deservit uni ciclo. Prima deservit primo ciclo qui incipit anno domini m° ccc° iiii° durans usque ad annum domini 1323 exclusive etc. Secunda tabula principalis deservit ciclo secundo qui incipit anno domini 1323 et durat usque ad annum domini 1342 exclusive. Tercia tabula deservit tercio ciclo qui incipit anno domini 1342 durans usque ad annum domini 1361 exclusive. Quarta tabula principalis deservit quarto ciclo qui incipit anno domini 1361 et durat usque ad annum domini 1380 exclusive. Deinde rediincipit primus ciclus durans per 19 annos subsequentes et postea secundus ciclus rediincipit et sic de aliis. Si igitur fueris in primo ciclo quod scire poteris ex tabula prima per annos domini tunc intra in tabula prima principalem in mense quo coniunctionem scire volueris ubi tunc aureum numerum inveneris tali die cum horis et minutis et secundis ex directo in eadem linea positis erit coniunctio media computando a meridie eiusdem diei per tot horas completas et per tot minuta hore sequentis incompletae. Et si nichil fuerit in horis et minutis tunc coniunctio erit precise in meridie illius diei ubi aureum numerum invenisti. Et nota quod coniunctio sic inventa est quo ad meridianum wiennensem. Quando vero aliqua regio civitas aut villa distat a civitate wiennensi per quatuor miliaria versus oriente addendum est unum minutum super minuta sic inventa. Si autem talis regio civitas aut villa distat per quatuor miliaria versus occidente subtrahendum est unum minutum a minutis sic inventis. Si vero talis regio civitas vel villa distat versus meridiem vel septentrionem nichil est addendum aut subtrahendum. Et sic nota minutum vero hic sumitur est sexagesima pars hore et secunda est sexagesima pars minuti. Item nota quod inventio novilunii secundum predicta huius kalendarii sine aliqua subtractione horarum durat per 16 annos capiendo initium et continue annorum anno domini m° ccc° quarto exclusive et tunc hore coniunctionis sic invente cum suis minutis et secundis in precise reddituntur. Si igitur veras horas et earum minuta vis scire volueris per 16 annos a nativitate Christi quos quere supra in tabula continuata et dies horas minuta et secundas que ex directo annorum subtrahe a diebus horis minutis et secundis in hoc kalendario positis. Si vero annos domini in prefata tabula continuata non inveneris. Recipe annos presentes viciniores in eadem tabula et horas minuta secundas ex directo illorum annorum subtrahe et ut supra dictum est. Si autem contingat quod secunde a secundis subtrahi non possint recipe a minutis unum minutum et illud resolve in sexaginta secundas addendo easdem ad secundas a quibus debet fieri subtractio et subtrahe secundas subtrahendas. Similiter si minuta a minutis subtrahi non possint recipe unam horam et resolve illam in 60 minuta et operare sicut fecisti cum secundis. Si autem contingat quod hore ab horis subtrahi non possint recipe unum diem a die coniunctionis et resolve illum in 24 horas et operare sicut modo dictum est prius et sic habes invenies horas cum suis minutis et secundis etc. Et ipse Si extra ab anno domini m° ccc° quarto usque ad annum domini 1380 nichil subtrahitur. Summo vero 1380 subtrahe debent 6 hore ab horis inventis sic et a minutis duo minuta et secundis 21 secunde. Et ista subtractio durat usque ad annum domini 1446 exclusive. Et tunc ultra continuare poterit qui tunc vivet insuper tabula continuata supra scriptam.

Oppositionem mediam si invenire vis adde super coniunctionem repertam 14 dies 18 horas 22 minuta et 2 secundas ita quod dies diebus coniunctionis addatur hore horis minuta minutis et secunde secundis. Et si ex tali additione minuta excreverint 60 subtrahe 60 et pro illis adde unam horam. Et si ex additione 24 horarum excreverint vel plures quam 24 hore provenient subtrahe 24 et pro illis adde unum diem. Similiter si secunde excreverint 60 tunc pro 60 secundis adde unum minutum. Quadratura prima vel secunda habetur est quando luna est semiplena inter coniunctionem et oppositionem. Secundo quadratura secunda vocatur et sic ille quadrature apparentia quarta solis et lune. Si igitur queris quadraturam primam adde super ipsam coniunctionem 7 dies 9 horas 11 minuta et unam secundam dies diebus horas horis et sic de aliis et habebis quadraturam primam. Similiter si quadraturam secundam habere volueris adde super ipsam oppositionem 7 dies